

quartum post tricesimum, ubi legimus (v. 7,8): *Iste afflictor (David in exilio) clamavit, et - Dominus audivit, et - ex - omnibus angustijs - ejus servavit - eum, Castra - metatur angelus Domini circum timentes - eum, et - eripit - eos.* Nempe David fugiens à persequitione injusti sui socii Saulis apud ipsos inimicos & hostes infestissimos in hostico se- lo tutiora quærebat latibula. Occiderat lapide ē fundā pastorali de- prompto robustissimum Philistinorum gigantem Goliam (*I. Sam. XVII, 51*): sæpius ingentes ipsis & fœdisimis (*c. XXIX, 25: 27:*) clades in- tulerat. Quid putas facturos fuisse ita deprehenso & optata m̄ sui co- piam usque ad vincula & necem facienti? In munito conclusus erat castello, in aulā & manu regis, ejusque hostis. Dicit quidem Nico- laus Lira incidisse Davidi illud, quod est in veteri versiculo

*Stultitiam simulare loco prudentia summa est atque ex fon- te Ebræo colligere vult, pinxit eum super ostia faciendo ibi quasdam figuræ, sicut solent facere satui, propter quæ Achimælæch sive Rex Ag- his Gitthæus eum repulerit. Verùm textus Psalmi allegati salutem, hanc atque evasionem unicè angelicæ custodie tribuit & transcribit. Angelus Domini qui Lotum ē Sodomitis, Jacobum ex Esavi centurijs, Danielem ex leonibus aulicis, socios & collegas ipsius ex ardente forna- ce, Petrum ex carcere liberavit, idem ille Davidem indemnum & in- columem ex satellitio regio eripuit atque abduxit. Et hoc ad man- datum, quod paullò suprà dictum est, Dei Domini factum fuit. Nam si, quod apud prophetam Danielem legimus (*cap. III, 22*), mandatum regis Babylonij ita urgeret, ut accelerandum esset, quid putabimus ad mandatum Regis regum & Domini dominantium futurum, cui omnes creaturæ vel ad nutum præstò sunt?*

*Agnoscamus ergo suavisimam hanc divinitæ providentiæ dispo- sitionem, consideremus sanctorum spirituum dignationem, summam- que nostram indignitatem. Quoties Angeli nobis etiam non- tam in fictâ quā verā præstò sunt fatuitate! insanimus, illi sufferunt; palantes erramus, ducent; labascimus, firmant; titubamus, manus supponunt; cadimus, erigunt. Puri non abhorrent loididos, neque casti*